

EPISTULA LEONINA

CLXIX

HEBDOMADALE
PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
QUOD ĒDITUR
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI
CUI NOMEN EST
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **GRATIS** ET **SINE ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. **SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.**

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS **I-CLXVIII** INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGIAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM
CENTESIMAM UNDESEPTUAGESIMAM (169) !

ARGUMENTA

CAMPANA SCHILLERIANA: VIVOS VOVO	03
DE EQUITE LEUCIPPO (III) (Storm, Schimmelreiter)	04-12
NARRATIUNCULAE PUERI MALE MÔRATI (V) (Thoma)	13-19
MYTHI GRAECORUM (51)	20-22

LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS SAL.PL.DIC.

Cara Lectrix, Care Lector,

nunc tibi offero Epistulam Leoninam centesimam undeseptuagesimam (169). De hac Epistulâ tibi missâ maximê gaudeo, et bene spero tibi quoque eandem gaudio fore!

Utinam feriis nunc fruaris recreabilibus. Utinam vaces textibus Latinis legendis, quos tibi praeparavi:

*synthema Campanae Schillerianae illustre (Vivos voco, mortuos plango, fulgura frango), Stormianum Equitem Leucippum (“Schimmelreiter”), Narratiunculas pueri male morati a Ludovico Thoma scriptas (“Lausbubengeschichten”) necnon nonnulla pericula Herculis. Denique ne obliviscar: Notam quandam versionis meae Equitis Leucippi (p.7, n.2) si perlêgeris, scies, **quomodo Latinê appelletur sonus cattaenotissimus**, qui theodiscê appellatur “**miauen**”, anglicê “**to meow**”, francogallicê “**miauler**”, hispanicê “**maullar**”, italicê “**miagolare**”, neograecê “**viaovπίζω**”.*

Nunc, cara Lectrix, care Lector, denuo cena tibi apparata est opipara: tolle lege frueri!

Medullitus Te salutat
Nicolaus Groß
 Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS

**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,
 Die Lunae, 06. m.Aug., a.2018**

Concordia.



VIVOS VOCO MORTUOS PLANGO FULGURA FRANGO

Haec verba Latina primo inscripta esse videntur a.1486 campanae Monasterii Omnium Sanctorum (*Kloster Allerheiligen*) Helvetici. Eadem campana, quae est pondere 4,5 t (quattuor semis tonnarum), usque ad annum 1895 adhibita est. *Fridericus Schiller* poeta Germaniae ingeniosus eâdem inscriptione a.1799 usus est ad carmen illud Campanae illustrissimum («*Das Lied von der Glocke*») synthemate (*Motto*) instruendum. Delineamentum autem, quod supra vides, *Ludovicus Richter* confecit ad carmen Schillerianum illustrandum. Tres sententioe Latinae spectant ad fines campanarum christianarum praecipuos: iisdem enim ad missam vocatur necnon indicantur funera et procellae. Rarissima inscriptio huiusmodi theodisca inest campanae a.1670 confectae et in ecclesiâ paroeciali catholicâ *Sancti Fredegari* in vico *Friedingen* suspensae: „**DIE LEBENDIGEN BERVFE ICH / DIE DOTEN BEKLAGE ICH / DEN DONNER BRICHE ICH / WER DAS NICHT GLAVBT DER LESE MICH.**“ – Verisimile est ultimas campanas, quibus synthema illud Latinum inscriptum est, a.1913 fusas esse, ut sonarent in Ecclesiâ Spei Berolino-Pancoviensi (*Hoffnungskirche Berlin-Pankow*): Ibidem synthema Latinum distributum est in tres campanas, quibus nomina imposita sunt cardinalium virtutum christianarum: **FIDES: VIVOS VOCO – SPES: MORTUOS PLANGO - CARITAS: FULGURA FRANGO.**

Theodori STORM fabula novella, q.e. „*Der Schimmelreiter*“, a.1888
Theodiscê conscripta, a.2018 a Nicolao GROSS in Latinum conversa.

DE EQUITE LEUCIPPO

DER SCHIMMELREITER

Pars tertia



»Das hohe und innerlich vielerfahrene Künstlertum Storms hat nichts zu schaffen mit Simpelei und Winkeldumpfigkeit, nichts mit dem, was man wohl eine Zeitlang ‚Heimatkunst‘ nannte... Er ist ein Meister, er bleibt«. **THOMAS MANN**

i.e. Latinê: Ars Theodori Storm magna multimodisque perita nequaquam spectat ad animi stupidam simplicitatem et proprii anguli terrarum laudem Abderitanam, nequaquam ad illam rationem scribendi, quae nescio an aliquamdiu appellata sit ‘ars patriae’... Storm est verus artifex: qui manebit.

Theodorus Storm: *Der Schimmelreiter (III)*

DE EQUITE LEUCIPPO

Capitulum tertium

Haucus in summo aggere constitit, et eius oculi acres latê vagabantur; sed nihil iam vidit mortuorum; infra autem, ubi fluenta aestuarii invisibilia frequentabantur, glacies tollebatur et demittebatur per lineas flumini similes.

Puer domum cucurrit; sed aliquo vesperum sequentium iterum foris fuit. Illis locis glacies nunc erat diffissa; e rimis vapor asendebat nubi fumosae similis, et super totum aestuarium tendebatur rete vaporis atque nebulae, quod mirum in modum miscebatur cum crepusculo vespertino. Haucus in ea prospiciebat oculis torpidis; nam in nebulâ figurae¹ obscurae huc illuc ibant, quae ei videbantur hominum magnitudine. Eaedem gradiebantur cum gravitate, sed vultibus et gestibus miris et terribilibus; quas videbat huc illuc ambulare longis nasis collisque instructas; subito eadem coeperunt morionum more formidulosê salire sursum et deorsum, maiores trans minores minoresque contra maiores; deinde dilatatae omni formâ sunt orbatae.

›Quidnam volunt illi? Num sunt spiritûs hominum aquis submersorum?‹ Haucus cogitavit. »Hoiho!« magnâ cum voce exclamavit in tenebras nocturnas; at illae figurae ibidem vagantes non curaverunt clamorem eius, sed perrexerunt agere miras ineptias suas.

Tum Hauco in mentem venerunt horribilia illa phantasmata marina norvegica, de quibus vetus nauarchus olim ei narraverat, quae loco faciei ferunt fasciculos graminis marini cervicibus impositos; non aufûgit, sed fulmentas² caligarum limo aggeris firmê impressit

¹ **figūrae obscūrae** orig. *dunkle Gestalten*. cfr LUCR.4,34 atque eadem nobis vigilantibus obvia mentes/ terrificant atque in somnis, cum saepe **figuras**/ contuimur miras simulacraque luce carentum,/ quae nos horrificê languentis saepe sopore/ excierunt ne forte animas Acherunte reamur/ effugere aut umbras inter vivos volitare. cfr VERG.Aen.10,636-642: Tum dea nube cavâ tenuem sine uiribus umbram/ in faciem Aeneae (uisu mirabile monstrum)/ Dardaniis ornat telis, clipeumque iubasque/ diuini adsimulat capitis, dat inania uerba,/ dat sine mente sonum gressûsque effingit euntis,/ morte obitâ qualis fama est uolitare **figuras**/ aut quae sopitos deludunt somnia sensûs.

² **fulmentae caligārum** orig. *die Hacken seiner Stiefel*. cfr PLAUT.trin.720 **fulmentas** iubeam suppingi soccis? cfr Georges, Ausführliches lateinisch-deutsches Handwörterbuch, vol.I, col.2870 s.v. fulmenta: „... II) insbes., der A b s a t z am Schuh, Plaut. Trin.720.“

oculisque torpidis spectaculum aspectavit lascivum, quod tenebris oborientibus coram se agebatur. »Vosne etiam apud nos versamini?« voce durâ locutus est; »me quidem non fugabitis!«

Eo demum tempore, quo omnia tenebris erant obiecta, puer domum iit pedibus rigidis lentisque. At audiebat post se alas plaudi et clamores resonare. Haucus non respexit; neque celerius iit et sêro demum domum advênit; sed numquam dicitur de iis rebus narravisse patri aut alii homini. Multis annis demum post Haucus filiam suam mente debilem, quâ postea Dominus Deus eum oneravit, eodem tempore diei et anni secum adduxit ad aggerem, ubi eo quoque tempore dicitur apparuisse idem phantasma foris in aestuario; sed pater filiae dixit, ne hoc timeret, nihil esse nisi ardeas et cornices, quae in nebulâ viderentur esse tantae magnitudinis; quas pisces captare e rimis glaciei apertis.

»Sciat Deus, Domine!« dixit magister scholaris sermonem suum interrumpens, »in terris sunt complures res, quibus perturbatur animus christiani sincerus; at Haucus neque fuit morio neque stultus«.

Cum nihil respondissem, magister erat perrecturus; sed ceteri convivae, qui usque nunc verba narrantis taciti audiverant nihil facientes nisi conclave humile complentes densiore fumo tabaci, subito coeperunt se movere; primo singuli, deinde ferê omnes se converterunt ad fenestram. Foris – hoc apparuit per fenestram cortinae expertem – nubes agitabantur procellâ, et lux et tenebrae rapidê inter se variabantur; sed etiam mihi visus est eques ille longâ staturâ macrâ praeditus equo albo vehens rapidissimê praetervectus esse.

Comes aggeralis submissê: »Paulisper« inquit, »exspecta, magister!«.

»Noli timere, Comes aggeralis!« parvus narrator respondit, »equidem illi non maledixi, neque mihi causae est, ut hoc faciam«; et ad illum suspexit oculis parvis et prudentibus.

»Bene, bene«, alter respondit, »sinas iterum complere hyalum tuum«. Hôc autem facto et auditoribus magnam partem aliquatenus stupefactis ad eum iterum conversis perrexit res factas narrare:

»Sic secum et libentissimè cum nemine nisi cum vento et aquâ imaginibusque solitudinis conversans Haucus adolevit, ut fieret catulaster longus et macer. Iam ex plus anno Haucus erat benedictus, cum subito alius factus est, et hoc effectum est vetusto catto angorano albo, quem olim secum attulerat Catharinae Iohanneae matri filius, qui postea infortunio mortuus erat, maritimo itinere Hispanico facto. Catharina habitabat in aggere admodum remoto in quadam casâ, et quandocumque haec anus in casâ suâ operabatur, hic cattus deformis solebat ante ianuam casulae sedere et oculis nictantibus in caelum aestivum et ad vanellos¹ praetervolantes prospicere. Hauco praetereunte Cattus mussiebat² aspiciens Haucum praetereuntem, is illi adnuebat; ambo sciebant, quantum unus alteri valeret.

¹ ***vanellus**, -i m. orig. *Kiebitz*. angl. *lapwing*.; fr. *vanneau*; hisp. avefría; ital. *pavoncella*. genus avium. cfr <https://en.wiktionary.org/wiki/Vanellus> "Etymology: From Latin *vanellus*, diminutive of *vannus* ("fan for winnowing grain") (see also *fan*), apparently in reference to the sound made by their wings". cfr <https://fr.wiktionary.org/wiki/vanneau>: "(1229) De l'ancien français *vanniel*. Buffon, dans son Histoire Naturelle des Oiseaux, Tome XII, page CXLVIII, indique que son nom se rapporte au battement bruyant et fréquent des ailes, et dériverait donc de *van*, du latin *vannus*".

² ***müssire**, -iō orig. *mauzen* (i.q. *miauen*). cfr **Walde/Hofmann**, Lateinisches Etymologisches Wörterbuch, 5.ed., tom.2 (M-Z), Heidelberg 1972, p. 134: „**müsiō** (-uss-), -ōnis m. "**Katze**" (Glossen, Isidor, romanisch): nicht als "Mäusefänger" (Wort der Kindersprache) zu *mūs* (Sofer Isid.63f.), sondern **Kosewort der Kindersprache, mit nur nachträglicher Anlehnung an *mūs*, daher nicht zu **mūriō* weiterentwickelt** (vgl. den Lockruf für Katzen: in Südtalien *mūš mūš*, dagegen Toskana *mīš-mīš*, deutsch *Mieze* usw. [Rohlf's briefl.]; fernzuhalten ist *mūsiae*: *nīdī sōricum* Glossae, vgl. Loewe Prodr.420). – Berberisch *muš* „Katze“ ist unverwandt (Schuchardt Sbb. Wien 188, 4.Abh.34)..“ – Aliter ac Walde et Hofmann sentit **Oomes: Thll VIII (1969) 1705**, qui rectè attribuit nomen musionis sermoni puerili, tamen in radice verbi quaerendâ sequitur **Isidorum Hispalensem** (Etymologiae 12,2,38): „**Musio appellatus, quod muribus infestus sit. Hunc vulgus cattum a captura vocant. Alii dicunt, quod cattat, id est videt. Nam tanto acute cernit ut fulgore luminis noctis tenebras superet. Vnde a Graeco venit catus, id est ingeniosus, APO TOU KAIESTHAI** ". – **At qui etymologus modernus sanâ mente praeditus confidat Isidori etymologiis absurdis et ridiculis?** («canis a non canendo»). **Magis mihi arridet explicatio Aloisii Walde et Iohannis Baptistae Hofmann!** Qui recte commentent **absentiae rhotacismi: «mit nur nachträglicher Anlehnung an *mūs*, daher nicht zu **mūriō* weiterentwickelt**». Musio mihi videtur esse substantivatio **musiendi*: multa verba temporalia, quae significant sonum aliquem, desinunt in -īre, e.g. *vagire*, *tintinnire*, *friguttire* e.m.a. – Ceterum nomina cattaefelisve domesticae onomatopoeica sunt multa etiam in linguis modernis; hoc praeter Walde et Hofmann supra citatos etiam indicant **Pauly-Wissowa, tom. XI,1 (1921), col. 52–57**: „Den Naturlaut der Katze, das Miauen, ahmen nach: altägypt. *mau*, *maau*, chin. *mao*, javan. *meong*, bugines. (auf Celebes) *meau*, mongol. *mi*, kalmück. *mü*, magyar. *macska*, tschech. und ukrain. *macek*, deutsch *mieze*, frz. *mite*, *chatte-mite*, span. *micho*, ital. *micio*, rum. *mutze*. Vom Mäusefangen führt im mittelalterlichen Latein die K. die Namen *musio*, *murio*, *murilegus* (bei Isidor v. Sevilla und Albertus Magnus). Das Nichtvorkommen von Schmeichelnamen der K. im Griechischen und Lateinischen (auch nicht in der Sueton zugeschriebenen Liste lateinischer Worte für Tierstimmen) wird als Beweis dafür angesehen, daß die K. der griechischen und lateinischen Welt als Haustier unbekannt gewesen ist (Schradler, Walde, Körting, O. Keller, Schuster)...“ cfr **Ludger Bilke**, Was heißt hier Katze? Untersuchungen zum Namen der Katze, in: Eine seltsame Gefährtin: Katzen, Religion, Theologie und Theologen. Frankfurt a.M. (Peter Lang) 2007. p.92:., (111 **Thomas Cantimpratensis** ist einer der wenigen Autoren, die sich über die die Stimme der Katze äußern. Er verwendet das Verb ‚singen‘, um das Schnurren auszudrücken: *Manu hominis contrectati gaudent, unde suo modo cantandi gaudium exprimunt* (*Liber de natura rerum* IV,76)... Unser Lockruf *miez-miez* ist genauso wie die *Mieze-Katze* der Kindersprache dem *miau* nachempfunden.“

At aliquando tempore vernali Haucus, ut facere solebat, iacebat ad aggerem, aliquanto remotius, versus aquam, inter armerias maritimas¹ et artemisiam marinam² fragrantem et calefiebat sole iam valente. Die proximo praeterito Haucus in aridâ terrâ editiore³ sacculos bracarum compleverat silicibus, et cum inter maris recessum cânae calidrides⁴ parvae raptim transvolarent aestuaria patefacta, Haucus subito lapidem e sacculo exemptum in has aves coniecit. Hoc a primis pueris exercuerat, et plerumque una saltim avis remansit in limo prostrata; sed saepe avis non potuit ex illo loco afferri. Haucus iam deliberavit, num sibi cattus secum adducendus et ita condocefaciendus esset, ut sibi praedam apportaret more canis venatici. Sed hîc et illîc erant etiam loci solidiores aut harenosi; si tales erant, Haucus excurrens praedam ipse sibi afferebat. Cattus si Hauco redeunte adhuc sedebat ante casulae ianuam, istinc bestia tam diu clamabat cum rapacitate indomabili, usque dum Haucus sibi adiceret unam ex avibus captis.

Hodie Haucus cum iaccâ umero impositâ domum iit, secum tulit avem pennis serico versicolori metalloque ornatam, et cattus puero veniente aspecto mussivit, ut solebat. At Haucus praedam - nescio an fuerit alcedo – hîc die noluit tradere neque curavit bestiae cupiditatem. »Vicis mutatur!«⁵ illi acclamavit, »Hodie mihi, cras tibi, haec quidem non est praeda catto dedicata!« Tamen cattus cautis pedibus arrepsit, Haucus stans eum aspexit, avis pendeat ex eius manu et cattus brancâ⁶ sublatâ constabat. At catulaster visus est amicum suum cattum nondum penitus novisse; nam Haucus dorso illi adverso abiturus, tractu senso animadvertit praedam venaticam sibi esse abreptam, simulque acrem unguem carni suae esse iniectum. Iuvenis ipse irâ ferinâ correptus est; tamquam rabidus brachium circumagitans iam raptoris cervicem corripuit. Pugno autem ingentem bestiam sublatam

¹ **armeria maritima*, orig. *Strandnelke*. <https://de.wikipedia.org/wiki/Strand-Grasnelke>

² **artemisia maritima* orig. *Seewermut*. cfr <https://de.wikipedia.org/wiki/Strand-Beifuß>

³ **arida terra editior* orig. *Geest*. cfr Michelsen, Dr.A.L.I.: Nordfriesland im Mittelalter. Eine historische Skizze. Schleswig 1828, p.51, *): „*Goes* oder *Gees* bedeutet trocken, woraus sich der Ausdruck: ‚die goese Elde‘ erklärt; (vgl. Dankwerths Landesbeschreibung S.53); in den lateinischen Urkunden wird die Gest als das *aridum* oder die *terra arida* bezeichnet.“ – cfr Scheller, Ausführliches ...deutsch-lateinisches Lexikon ... Leipzig 1805, col.1072: „Geest oder Geestland, *terra editior*“.

⁴ **calidris*, -idis f. orig. *Strandläufer*. cfr <https://de.wikipedia.org/wiki/Strandläufer> cfr Liddell-Scott, Greek-English Lexicon, p.1604: „σκαλίδρις, ἡ, a speckled waterbird, prob. redshank, *Scolopax calidris*, ARISTOTELES, Historia Animalium 593 b 7 (v.l. καλίδρις).“

⁵ »*Vicis mütatur!*« orig. *Umschicht!*

⁶ **branca*, -ae f. orig. *Tatze*. cfr Georges, Ausführl. Lateinisch-Deutsches Handwörterbuch, tom.I, col.860: „branca, -ae f., die Branke, die Pfote, lupi, ursi, Gromat.vet.309,2 u.4.“

suffocavit, ut eius oculi protuberantes emitterentur ex capillis asperis, non curans bracchium suum dilacerari robustis catti unguibus posterioribus. »Hoiho!« Haucus clamans cattum etiam firmiter corripuit; »videamus, quis nostrum hoc patiat diutius!«

Subito catti pedes posteriores laxi delapsi sunt, et Haucus paucis gradibus regressus eum proiecit in casam aniculae. Illa cum neque appareret neque quid diceret, Haucus conversus domum iter facere perrexit.

At iste cattus angoranus¹ fuit cimelium dominae suae; qui fuit aniculae socius et unica possessio, quam filius nauta ei legaverat subitâ morte correptus, in procellâ matrem crángones² captantem adiuturus. Haucus centum ferê gradûs progressus panno sanguinem recipiens e vulneribus suis effluentem, cum e casâ audivit fletum et lamentationem. Tum conversus mulierculam conspexit humi iacentem; capilli eius aniles vento circa ricam rubram volitabant. »Mortuus!« illa clamavit, »mortuus est!« et bracchio macro minaciter contra Haucum sublato: »Exsecror te! Tu illum occidisti, tu nequam grassator litoralis, tu non dignus fuisti, qui illius caudam peniculo extergeres!« Anus irata se bestiae superiecit et encombomate usa tenerrimê abstersit sanguinem, qui adhuc effluebat e catti naso et rostro; deinde denuo coepit lamentari.

»Esne iam finitura?« Haucus aniculae acclamavit. »Audi quid tibi dicam: Afferam tibi cattum, qui contentus erit sanguine murium rattorumque!«

Deinde puer abiit, quasi nihil iam curaret. Attamen puto eum catto mortuo aliquatenus esse perturbatum. Nam cum domos advenisset, patris reliquasque praeteriit et per longum spatium versus meridiem in aggere iit in urbem.

Interim etiam Catharina Iohannea³ eâdem in viâ eandem in directionem migravit; quae onus gerebat indumento pulvini caeruleo colore scutulato involutum bracchiisque impositum, quod tam

¹ *cattus *angorānus* orig. *Angorakater*.

² *crángôn*, *crángônis* f. orig. *Porre*. cfr <https://de.wikipedia.org/wiki/Nordseegarnele>. cfr Liddell-Scott, op.mem., p.988: κραιγγών, όνος, ή, a kind of κραιός, prob. *Squilla mantis*, ARISTOTELES, Historia Animalium 525 b 2...”

³ *Catharīna Iohannēa* orig. *Trin' Jans*.

diligenter circumplexa est quasi esset infantulus; capilli aniles levi aurâ vernali huc illuc volitabant. »Quid tecum portas, Catharina?« agricola quaesivit in mulierculam incidens. Ea autem: »Aliquid carius tuâ villâ tuoque praedio« respondit; deinde Catharina sedulê iter perrexit. Cum domui veteris Haieni infra sitae appropinquaret, anus per semitam obliquê ad latus aggeris deorsum aut sursum ducentem descendit ad domos.

Tedus Haienus senex modo ante ianuam stans suspexit in caelum. Ìdem, cum ante se staret anus anhelans baculumque humo imprimens: »Heus Catharina!« inquit, »Quid novi affers sacco tuo?«

»Primo sine me ire in conclave, Tede Haiene! Deinde rem videas!« Necnon eum aspexit oculis mirê scintillantibus.

»Ergo venias!« Tedus vetus dixit cogitans quidnam ad se valere oculos istius stultae éxcetrae.

Cum ambo intravissent, anus loqui perrexit: »Aufer veterem cistulam tabaci et utensilia scriptoria a mensâ – quidnam tu habes semper scribendum? – Bene factum. Nunc deterge mensam!«

Vetus Tedus paene curiosus factus omnia fecit, quae illa dixit; deinde Catharina ambabus cuspidibus indumenti pulvini arreptis magnum catti cadaver in mensam deiecit. »En habes!« vociferata est; »Haucus tuus eum occîdit«. Deinde autem Catharina coepit amariter flere; pellem bestiae mortuae densam permulcebat, brancas inter se composuit, longum nasum suum capiti catti imposuit inque aures bestiae susurravit verba blandissima non intellegibilia.

Tedus Haienus haec vidit. »Itane factumst?«, inquit, »Haucusne eum occîdit?« Tedus nescivit, quidnam faceret de mulierculâ eiulante.

Vetula vultu truci ei annuens: »Ita, ita« inquit, » - mi Deus – factumst!« Manu autem arthritide incurvatâ lacrimas ex oculis detersit. »Nihil mihi restat vividum, nullus parvulus, nullum animal!« lamentata est. »Certê tu quoque scis nos aetate provectiones post Dies Omnium Sanctorum laborare pedibus frigentibus vespere in lecto

iacentes, et pro eo, ut dormiamus, audimus ventum caurum¹ foriculas² nostras percutientem, ut crepitent. Quem strepitum non libenter audio, Tede Haiene, nam iste venit inde, ubi filius meus limo est submersus».

Tedus Haienus annuit, vetula autem pellem catti mortui permulsit. »Is autem«, sermonem pergens inquit, »cum hieme sedebam ad rhombum netorium³, is sedebat apud me necnon nebat et me aspectabat caesiis suis oculis! Et cum frigans in lectum reprobam – is sine morâ ad me assilliebat pedibusque meis frigentibus se imponebat, et nos unâ calefacti dormiebamus, quasi mihi adhuc in lecto esset vir mihi amatissimus!« Mulier vetula, quasi cuperet haec recordata assensionem, virum iuxta se stantem aspexit oculis coruscantibus.

At Tedus Haienus respondit consideratê: »Scio, quid tibi consulam, Catharina Iohannea«, et iit ad capsam suam et e forulo reciproco sumpsit monetam argenteam et »Dicis« inquit, »Haucum tibi hanc bestiam interfecisse, et ego scio te non mentiri; sed hîc est thalerus coronarius Christiani IV.i, quo accepto eme tibi pellem agninam tannatam⁴ ad pedes frigidos calefaciendos! Catta nostra si mox catulos pepererit, eligas tibi maximum omnium, et unâ et alterâ re inter se coniunctis certê compensabitur cattus angoranus aetate decrepitu! Nunc autem sume istam bestiam et meâ causâ affer ad officinam excoriatoris⁵ oppidanam, et opprime ôs, ne cui narres istius bestiae cadaver hîc positum esse in mensâ meâ purâ atque sincerâ!«

Iam inter hunc sermonem mulier thalerum arreptum perulae indiderat, quam sub gunnis⁶ suis gerebat; deinde cattum indumento pulvini denuo infarsit, encombomate maculas sanguinis a mensâ deterisit, rigidis pedibus foras egressa est. Necnon »Cave« in domum vocavit »ne obliviscaris catta catulum!«.

¹ **caurus**, -i m. orig. *der Nordwest(wind)*.

² **foricula**, -ae f. orig. *Fensterladen*. VARRO, De re rustica 1,59,1 Et ideo oporothecas qui faciunt, ad aquilonem ut fenestras habeant atque ut eae perflentur curant, neque tamen sine **foriculis**, ne, cum umorem amiserint, pertinaci vento vieta fiant; ideoque in iis camaras marmorato et parietes pavimentaue faciunt, quo frigidius sit.

³ **rhombus** ***nētōrius**, orig. *Spinnrad*. cfr Johann Adam Schmerler, Deutsch-Lateinisches Wörterbuch, Erlangen 1794, p.121, s.v. Spinnrad: rhombus netorius.

⁴ **+tannō**, -āre orig. *gerben*.

⁵ **+excoriātor**, -ōris m. *Racker (i.q. Schinder, Abdecker)*.

⁶ **gunna**, -ae f. orig. *Rock*.

**FABULAM NOVELLAM
EXCELLENTISSIMAM
A THEODORO STORM SCRIPTAM**



C.T. EST

Der Schimmelreiter

IN LATINUM CONVERTIT

NICOLAUS GROSS

LEO LATINUS

NARRATIUNCULAE
PUERI
MALE MŌRATI
(Lausbubengeschichten)

Quas scripsit

LUDOVICUS THOMA

in Latinum convertit

NICOLAUS GROSS



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS

Pars I: EL 144, 4-12; pars II: EL 145, 7-14; Pars III: EL 155, 4-16;
Pars IV: EL 164, 14-23.



LUDWIG THOMA

(1867-1921)

Circa a.1909 pinxit Karl Klimsch.

Ludovicum iuvenem cum pertaedeat se iterum iterumque submittere licentiae magistrorum ceterorumque hominum, qui putantur esse auctoritates, audax consilium capit unum post alterum, quo quam bellissimê calcitret contra stimulum civium abderitanorum.

Ludovicus Thoma his in narratiunculis satiricis, quae specie tantum sunt pueriles, mirifico ingenio comico stupendâque subtilitate mores describendi systema scholae vilelmianum et clericalismum integumentis dissimulationis fallacissimae evolvit denudatque.

Eius »Narratiunculis pueri male môrati« lepidissimis animi lectorum usque hodie non desinunt mirabiliter delectari.



PARS QUINTA (V)

Capitulum 5

Sponsalia (*Die Verlobung*)

Binder professor classis nostrae venerem petivit a Mariâ sorore meâ¹.

Hoc mox animadverti, sed domi omnes secretius se gerebant, quam ut aliquid accuratius acciperem.

Alioquin Maria semper me vituperabat, et cum mater mea dicebat: »Per Deum, talis ille est!«, Maria semper aliquid vituperii addens dicebat me esse nequam puerum male moratum.

Subito Maria perquam lenis facta est.

Cum classem obiturus eram, soror saepe me currendo usque ad scalas secuta: »Nonne vis« inquit, »mâlum tecum auferre, Ludovice?« Deinde etiam attendit, ut gererem collare candidum, et focale mihi colligavit, nisi ipse rectê hoc feceram.

Aliquando Maria mihi êmit focale novum, quamquam hanc rem antea omnino non curaverat.

¹ venerem petivit ā Mariâ sorore meâ orig. *hatte es auf meine Schwester Maria abgesehen.*

Haec mihi statim visa sunt suspiciosa, sed nescivi, quare soror haec faceret.

Ex me domum redeunte saepe quaerebat: »Nonne Dominus Professor te appellavit? Dominusne Professor tecum agit affabiliter¹?«

At ego: »Quid hoc« inquam, »rêfert ad te? Omitte istas argutias! Non ego te flocci facio!«

Primo putavi eam esse novam ineptiolam eius, quia puellae modo hoc modo illud dicunt faciuntve, ut videantur esse quam sagacissimae. Postea demum rem perspexi.

Bindingero autem ego numquam placueram, neque iste placuerat mihi. Iste enim erat perquam sordidus.

Iste enim semper ientabat ova apala; hoc eo apparebat, quod istius barba erat plena vitellorum.

Bindinger in faciem consputabat hominum, quibuscum loquebatur, et istius oculi erant colore felineo.

Omnes professores sunt stulti, sed iste etiam erat stultior.

Iste capillos suos non sinebat resecare et abundabat furfuribus.

Cum loquebatur de Germanis antiquis, barbam suam sibi permulcebat et voce gravi loquebatur.

At ego non credo Germanos antiquos tam ventriosos fuisse caligasque gessisse tam detritas quam istum.

¹ **affabiliter agere cum aliquo**: cfr Matthias a Corona Leodiensis, De missionibus apostolicis sive tractatus de utilitate sacrarum missionum, Leodii 1675, p.385: "Non vult altercari de praecedentia sacrificii, sed vult **cum iis affabiliter agere**, non vult verbis, sed rationibus contendere, quia ad nihilum valet ejusmodi contentio, scilicet cum verbis et modo inordinato ac litigioso, sed valde periculosa est, ..."

Cum ceteros vituperaret, me cellâ inclusit semper dicens: »Tu quidem numquam fies membrum societatis utile, tu catulaster nequissime!«

Deinde facta est ballatio sodalicii cantorum, quam propter Mariam mater mea quoque participavit.

Maria huius ballationis causâ accepit vestem rosaceam et flevit horribiliter, quia sutrix hanc vestem nimis sêro perfecit.

Equidem gavisus sum, cum eae tandem foras abirent tantas ineptiolas facientes. Postridie Maria de ballatione narrans mihi dixit: »Audi, Ludovice, Dominus Professor *Bindinger* etiam adfuit. O hic vir quam lepidus est!«

De his verbis stomachatus e Mariâ quaesivi, num ille bene sputavisset, et nonne vestem Mariae rosaceam ovorum maculis conspurcasset. His auditis soror penitus erubuit et subito prosiluit, foras cucurrit, et per ianuam audita est flere.

Iam credidi eam esse mente captam, sed mater mea valdê indignata: »Non licet tibi« inquit, »tam indecorê loqui de magistris tuis; quod Maria non patitur«.

»Velim quidem scire, quidnam hoc rêferat ad eam, stultum est eam hac de causâ flere«.

Mater mea: »Mariola« inquit, »est bona puella et videt te nihil discere et insolentius te gerere in professorem tuum«.

»At istius barba« inquam, »abundat vitellis ovorum«.

Mater autem: »Is est vir frugi et prudens, qui adhuc facturus est magnum cursum honorum. Et lepidê locutus est cum Mariolâ. Necnon ei dixit, quantum curarum sibi tu facias. Et nunc tace!«

Equidem nihil iam dixi, sed cogitavi *Bindingerum* esse furciferum, quod me accusavisset apud sororem meam.

Post meridiem îdem in institutione Latinâ me appellavit; sed quia lectionem Cornelii Nepotis non praeparaveram, eius verba in theodisca convertere nescivi.

Ille: »Heus puer« inquit »quare denuo non es praeparatus?«.

Primo cum nihil haberem, quod praetenderem, dixi:

»Excusa, Domine Professor, non potui«.

»Quidnam non potuisti?«

»Nepotem non potui praeparare, quia soror mea particeps fuit ballationis«.

Tum ille: »Istud quidem« inquit, »est omnium impudentissimum, quod uteris excusatiunculâ tam stultâ«, sed ego iam aliquid inveneram, quod praetexerem et dixi me vehementer ex capite laborasse, quia sutrix tam diu remorata esset et ego, a quo ista fuisset adducenda, in ponticulo lubrico elapsus capite illiso passus essem dolores horribiles. Intra me autem cogitavi mihi non sollicitandum esse, sive ille crederet sive non, quia nesciret demonstrare me esse mentitum.

At ille me non vituperatum abire sivit.

Postridie cum e scholâ rediissem, Maria in stibadio mediani sedens lacrimabat horribiliter. Mater autem mea eius caput tenens: »Ah Mariola« inquit, »hoc bene fiet. Quiescas, puellula!«

At soror: »Non, certê numquam bene fiet. Iste puer male moratus semper sedulê curabit, ut fiam infelix«.

»Quidnam denuo ista lamentatur?« interrogavi.

Tum mater vehementius irata est quam umquam antea.

»Quidnam« inquit, »tu ipse hoc interrogas! Tu ipsi Deo nescis rationem reddere istarum rerum, quibus sororem tuam vexas, et, ut omittam pigritiam tuam, ad miseram hanc puellam convertisti culpam

tuam eo, quod mente finxisti te caespitasse in ponticulo, quia sororis causâ tibi ad sutricem fuisset eundum. Quidnam de nobis cogitet bonus Professor *Bindinger*?«

Tum Maria »Is sentiat nos se abûti! Sentiat nos omnes mentiri, sentiat me quoque talem esse!« vociferata est mucinnio madido oculis appresso.

Ego autem statim foras exii, quia iam scivi eam me remansuro etiam vehementius excitatum iri, et cena mihi ad conclave meum est apportata.

Haec facta sunt die Veneris; et die Dominicâ subito mater mea ad me intravit et leniter subridens dixit, ut venirem in medianum.

Ibi autem stabat Professor *Bindinger*, et Maria caput suum in eius umerum acclinaverat, et ille oculis erat horribiliter perversis. Mater mea me manu ducens: »Ludovice« inquit, »Maria nostra nunc fiet Domina tua Profestrix«, et mucinnio exempto lacrimavit. Necnon Maria flevit. *Bindinger* autem iit ad me et manu capiti meo impositâ: »Faciamus« inquit, »ex isto puero utile membrum societatis«.

QUINTUM CAPITULUM OPERIS C.T.

NARRATIUNCULAE PUERI MALE MŌRATI (»*Lausbubengeschichten*«)

QUOD SCRIPSIT LUDOVICUS THOMA

IN LATINUM CONVERTIT



LEO LATINUS

MYTHI GRAECI

***A Gustavo Schwab narrati, a Leone Latino Latinê redditi
(51)***

Cap.51: Heroica facinora Herculis posteriora

Imprimis Hercules profectus est, ut castigaret regem Laomedontem conditorem et dominum Troiae violentum imperiosumque. Nam cum Hercules pugnâ contra Amazonas factâ reversus Hesionam filiam Laomedontis draconi expositam liberavisset, îdem rex heroem mercede promissâ, i.e. equis Iovis celeribus, fraudavit eumque irâ incensum iussit iter pergere. Nunc Hercules sex tantum naves et parvum tantum gregem militum secum abduxit. At inter eos fuerunt heroes Graeciae illustrissimos, velut Peleus, Oecleus, Telamon. Quorum postremum Hercules pelle leoninâ vestitus advenerat modo cenantem. Telamon statim surrexit, convivae grato auream pateram porrexit vini plenam, Herculem iussit considerare. Is autem de tantâ hospitalitate gavisus manûs versus caelum tenens oravit: »Iuppiter pater, si umquam preces meas audivisti propitius, te nunc obsecror, ut huic Telamoni liberis carenti des filium fortem heredem, qui sit tam invulnerabilis quam ego sum pelle leonis Nemeaei indutus. Îdem utinam semper sit audacissimus!« Herculi haec vix effato deus misit aquilam ingentem avem regalem. Hercules ideo suavissimê affectus more vatis vocavit animo inflammato: »En vides, Telamon, habebis filium, quem cupis; qui erit tam magnificus quam haec aquila superba, et eius nomen sit *Ai*ax, et îdem vir ingens erit opus Martis dei exercens«. Sic effatus iterum consedit cenatum; deinde Telamon atque Hercules aliis cum heroibus congregati profecti sunt contra Troianos pugnaturi. Cum ad terram Troianam attigissent, Hercules Oecleo mandavit, ut apud naves vigilaret; ipse cum ceteris heroibus impetum fecit in urbem. Interim Laomedon cum militibus properê conductis naves heroum aggressus Oecleum pugnans occîderat; at abiturus circumdatus est ab Herculis comitibus. Interea obsessio agebatur acriter; Telamon moeniis perfractis primus fuit, qui urbem invaderet. Hercules post eum demum vênit. Primum omnium in vitâ Herculis factum est, ut hic heros ab altero fortitudine superaretur; cum Hercules aemulatione affectus esset aterrimâ, subiit eius animum cogitatio

pessima. Gladio destricto Telamonem ante se progredientem fuit occisurus. Is autem conversus e vultu et gestu divinavit, quid Hercules esset facturus. Animo celeriter capto lapides proximê iacentes collegit et ab aemulo interrogatus, quidnam hîc faceret, respondit: »Herculi victori exstruo aram!« Hôc autem responso placata est ira herois aemulantis. Nunc Hercules et Telamon perrexerunt unâ pugnare, et Hercules sagittis interfecit Laomedontem cum omnibus eius filiis, uno tantum excepto. Urbe expugnatâ heros Hesionen filiam Laomedontis praedam victoriae donavit Telamoni amico. Simul puellae permisit unum ex captivis eligere liberandum. Tum Hesiona elegit Podarcem fratrem suum. Deinde Hercules: »Aequum est;« inquit, »eum esse tibi; sed antea oportet eum infamiam passum esse servitutis; deinde accipias eo pretio, quod pro eo dare volueris!« Cum autem puer reverâ servus venditus esset, Hesione ornamenta sua regia de capite arrepta tradidit, ut fratrem redimeret; itaque eidem nomen impositum est *Priami* (quod valet *redemptum*). De eo autem fabula multa narrabit.

At Iuno de hac victoriâ partâ semideo non est congavisa. Itaque Hercules Troiâ ex urbe revertens tam diu opprimebatur procellis gravissimis, usque dum Iuppiter irâ incensus uxorem saevientem impediret. Nonnullis periculis subitis heros statuit, ut ulcisceretur regem Augiam, qui etiam sibi olim fraudavisset mercede promissâ; Elide Augiae urbe expugnatâ eum interfecit eiusque filios. Hercules autem regnum Elidis Phyleo tradidit, qui, cum esset amicus suus, fugatus erat. Hac autem victoriâ partâ Hercules ludos Olympios instituit aramque dedicavit Pelopi, primo eorum fundatori, arasque duodecim deis, binis unam. Ipse Iuppiter dicitur illo tempore in formam humanam mutatus cum Hercule luctatus et ab eodem superatus filio de robore divino gratulatus esse. Deinde Hercules expeditionem fecit in Pylum ad regem Neleum, qui olim recusaverat, ne eum expiaret; impetu in urbem facto Hercules Neleum decemque eius filios occidit. Nemo nisi Nestor iuvenis, qui procul educabatur apud Gerenios, integer remansit. In hîc proelio Hercules etiam Plutonium deum inferorum vulneravit, qui advenerat, ut Pylios adjuvaret.

Adhuc Hippocoön Lacedaemonius restitit puniendus, alter rex, qui Iphito interfecto recusaverat, ne interfectorem expiaret. Etiam filii huius rêgis denuo odium herois sibi conciliaverant. Nam cum

Hercules unâ cum Oeono, avunculo amicoque, in Lacedaemonem venisset, in eum invecus est magnus canis molossus. Oeonus canem lapide iacto occidit. Tum filii rēgis accurrerunt et peregrinum fustibus occiderunt. Ut etiam mortem amici ulcisceretur, Hercules coegit exercitum in Lacedaemonem ducendum; iter per Arcadiam faciens regem quoque Cepheum cum eius viginti filiis invitavit, ut secum pugnarent. Īdem autem rex cum timeret, ne Argivorum gens sibi finitima in terram suam invaderet, primo recusavit, ne unâ cum Hercule expeditionem faceret. At Hercules a Minervâ cincinum capitis Medusae urnâ aeneâ conditum acceperat. Eodem Steropae filiae Cephei tradito dixit: »Si exercitus Argivorum accesserit, necesse erit, ut hunc cincinum (quem cave ne aspicias) ter tollas supra moenia urbis; deinde hostes vestri fugâ salutem petent!« His auditis Cepheus commotus est, ut unâ cum omnibus suis filiis exercitum educeret. Argivi quidem feliciter a filiâ suâ sunt fugati; at ei ipsi istaec expeditio male evēnit: Nam Cepheus unâ cum omnibus suis filiis occisus est et praeter eos Iphicles, frater Herculis. Is autem ipse Lacedaemone expugnatâ et Hippocoo eiusque filiis interfectis Tyndareum patrem Castoris Pollucisque dioscurorum reduxit et ad eum denuo diadema detulit, sed regnum a se expugnatum, quod Tyndareo tradidit, filiis suis reservavit.

**MYTHUM HERCULEUM
A GUSTAVO SCHWAB NARRATUM
IN LATINUM CONVERTIT**



LEO LATINUS

ECCE LIBRI LEONIS LATINI

Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdê augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materialiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuê disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.

Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hôt tempore apud Leonem Latinum prostant venales:

- | | |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat)..... | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum)..... | 42,00 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser)..... | 45,00 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne)..... | 22,00 € |

PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non êditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».

GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.

Habeas nos excusatos, quod situm interretialem (i.e. anglicê »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.

Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimê eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtuaalem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeras, quibus operam dedit illis creandis.

Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EΙΣ AEI.

INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR	Num. mand a- telae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANS- LATOR	ANNUS	FORMA	AMPLI- TUDO	PRE- TIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymu s (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD- ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104 A	978-3-938905-15-9	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA- Libri audibiles	Anonymu s (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD- ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD- ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304 A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE -Libri audibiles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	MEMENTO MORI	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD- ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	00404 A	978-3-938905-17-3	MEMENTO MORI - Libri audibiles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	DE CRAMBAMBULO	Marie von Ebner- Eschenba ch	Nikolaus Gross	2004	CD- ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	DE DINOSAURIS	Nikolaus Gross	-----	2004	CD- ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	SUDATORIUM VENERIS	Diogenes Anaedoeu s	-----	2004	CD- ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	PERICULUM FRANCISCI	Diogenes Anaedoeu s	-----	2004	CD- ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	NUPTIAE ABDERITANAE	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD- ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN	Henricus van den Lande de Raelt	-----	2004	CD- ROM pdf	7 pp.	€ 17,50

14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIANAE 1	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenmatt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptmann	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	00505 A	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	00605 A	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	00705 A	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAE LATINAE	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIUM	Karl Friedrich Kielmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	00306 A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	00406 A	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90
27	00506 A	978-3-938905-26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – Libri audibiles	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90
28	00107 A	978-3-938905-27-2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	----- --	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	00207 A	978-3-938905-28-	OBSIDIO SAGUNTI T.LIVIO DESCRIPTA	Livius	-----	2007	Audio	53 min.	€ 23,90

		9							
30	00307	978-3-938905-29-6	FABELLAE GRIMMIANAE II	Jacob Grimm/ Wihelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD-ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**

**HANC EPISTULAM LEONINAM
CENTESIMAM UNDEOCTOGESIMAM**

SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT

Die Lunae, 06. m. Aug. a. 2018

Nicolaus Groß

Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



LEO LATINUS

<http://www.leolatinus.de/>